Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36484
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



conuiua factus. & in aures discipuli de auctoris ore transfusa
fortius sonat. Vnde & eschenes cum rodi exularet. & legeret illa demostenis
oratio quam aduersus eum habuerat mirantibus cunctis atque eam laudantibus
suspirans ait. Quid si ipsam bestiam audissetis sua uerba resonantem. Nec hoc
ideo dico. quod sit aliquid in me tale quod uel possis uel uelis discere. sed
quo ardor tuus & discendi studium & iam absque nobis per se probari debeat.
Ca. 3m Ingenium docile & sine doctore laudabile est. Non quod inuenias. sed quod queras
consideramus. Mollis cera & ad formandum facilis. & iam si artificis & plastes
cessent manus. tamen uirtutis totum est quicquid esse potest. Paulus apostolus ad
pedes gamalielis legem moysi & prophetas didicisse se gloriatur. ut armatus
spiritalibus telis postea dicere & confidenter. Arma enim militie nostre non carnalia
sed sed potentia dei spiritalia & fortia ad destructionem munitionum
cogitationes destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus sci
entiam dei. & captiuantem omnem intellectum ad obediendum xpo & parati sub
iugare cunctam inobedientiam. Ad timotheum scribit ab infantia sacris litteris
eruditum. & hortatur ad studium lectionis. ne negligat gratiam que data sit ei
per impositionem manus presbiterii. Tito & iam precipit ut intercetera uirtutes
episcopi. que breui sermone depinxit. scientiam quoque in eo elegat scripturarum
optinentem inquit cum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem. & ut potens sit
Ca. 4m exhortari in doctrina sua & contradicentes reuincere. Sancta quippe rusticitas
solum sibi prodest. & quantum edificat ex uite merito ecclesiam xpi. tantum noce &
si destruentibus non resistat. Malachias propheta immo per malachiam dominus interro
gauit sacerdotes legem. in tantum sacerdotis officium est interrogatum respondere
de lege. In deutronomio legimus. interroga patrem tuum & annuntiabit tibi. & se
niores tuos & dicent tibi. In psalmo quoque centesimo octauo decimo. Cantabi
les mihi erant iustificationes tue. in loco peregrinationis mee. Et in descriptio
ne iusti uiri cum eum arbori uite que est in paradyso dauid compararet.
intercetas uirtutes & iam hoc intulit. in lege domini uoluntas eius. & in lege eius me
ditabitur die ac nocte. Danihel in fine sacratissime uisionis iustos ait fulge
re quasi stellas. & intelligentes idest doctos quasi firmamentum. Vides quantum
inter se distent iusta rusticitas & docta iusticia. Alii stellis. alii celo compa
rantur. quanquam iuxta ebraicam ueritatem utrunque de eruditis possit intel
ligi. Ita enim apud eos legimus. qui autem docti fuerint fulgebunt quasi
splendor firmamenti. & qui ad iustitiam erudiunt multos. quasi stelle in per
petuas eternitates. Cur paulus uas electionis dicitur. quia uas legis & scrip
turarum sanctarum armarium est. Pharisei stupent in doctrina domini. & mirantur in
petro & iohanne quomodo legem sciant. cum litteras non didicerint. Quicquid enim
aliis exercitatio. & cottidiana in lege meditatio tribuere solet. illis spiritus
sanctus suggerebat. Et erant iuxta quod scriptum est docibiles deo. ΘΕΟΔΙΔΑΚΤΟΙ.
Duodecim annos saluator impleuerat. & in templo sedens de questionibus
legis interrogans magis docet dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum